



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ecloga  
IN NATALEM  
SALVATORIS NO-  
STRI JESU CHRISTI

ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΤ

Concinnata

&


*Nobilissimo Viro*

CHRISTOPHORO  
AB HOYM PARENTI SUO  
carissimo in felix novi anni auspicium  
strenæ loco, & filialis observantiæ  
ergò nuncupata

*AUGUSTO AB HOTM*

JENÆ  
Typis Christophori Lippoldi,  
Anno 1604.

75  
82  
643




## Dedicatio

EN sol nunc iterum, pater colende,  
Hinc ex Antipodum reversus antris  
Arctoas placide revisit urbes :  
Fumosusq; dedit fugam decembris,  
Ac præsens Deus hic bifrons, novusq;  
Annus cum niveis adest calendis :  
Ad quos à tritavis avisq; mos est  
Observatus, ut hinc, & hinc amici  
Ultro munera dent sibi viciissim,  
Quæ gens Thusca solet vocare strenam,  
Hinc me verus amor novem Dearum,  
Nutrit quas Helicon biceps, coegit  
Munus, care pater, tibi dedisse.  
Sed non divitias, Tagi beata  
Quales auriferi reportat unda :  
Non æs quale viri parant Britanni,  
Quæ non possideo, sed omne tale  
Jam nunc sumo, Deo datore largo,  
Et mittente manu parente læta,  
Verum quale solent domus alumni

Aſcreæ

Ascreæ Dominis dedisse magnis  
Carmen, quod facili manu ministrant  
Ipsis Aonides, sacerq; phœbus.  
Quod quamvis rude vernulumq; carmen,  
Indignumq; tua serenitate:  
Æqui te tamen hoc boniq; munus  
Ter tres pierides & ipse phœbus  
Orat consuluisse: Si cicuta  
Hæc vernans tibi grata sit, futurum,  
Visurus meliora sis deinceps,  
Dum phœbus faveat, juventq; Musæ,  
Aspiretq; meis Jesus orfis,  
Cunctorum dator atq; fons bonorum,  
Qui te cum genetricie, cumq; fratrum  
Cœtu, jungo quibus mihi sorores  
Caras, per solitum suum favorem  
Immensamq; suam benignitatem  
Cumæas tribuat videre messes.  
Sed post fata dein suprema donet  
Idem gaudia sempiterna cœli:  
Quo tunc Ambrosiam sacrumq; nectar  
Sumamus cupida manu per ævum.





## ECLOGA

Menaclas: Daphnis

*eclogas*

M. Daphni quid exultas? quid gestis? quidve triumphas?  
Cur calamos inflando leves nova carmina fингis?  
Carmina cum cessent, cessent mulcere volucres  
Aëreos tractus cessentq; per arva coloni.  
Jam non ver tepidum ridet, riget horrida bruma,  
Ante focum lento pastor prostratus in antro  
Nunc tepet, at q; ovium grex inter septa tenetur  
Clausus, amat taurus præsepia nocte dieq;,  
Jamq; lupus sævit ventos perpessus & imbræ,  
Et fremit ad caulas inbians, ululatq; per agros.

D. Luget ager, lugent, quoniam requiescit aratum,  
Agricola, casulis stertentes undiq; clausis:  
Attamen explicui frontem mentemq; repostis  
Compono curis, en quām nova gaudia duri  
Temporis oblitum me reddunt, imag; summae  
Pectore latitiæ mira dulcedine mulcent,  
Quæ nunc hisce meis vidi vicine Menalca.

M. Quæ bona, Daphni, refers, quæ tu nova gaudia dicis?  
Quæso mihi memora, cum sors vicina juvare  
Affolet haud raro vicinos, in cipe fari.

D. Expediam paucis, nam tædia pluribus insunt,  
Gratia sed paucis, at q; ordine singula pandam:

Hæc

Hæc si quidem reticere nefas, sunt digna relatu.

M. Incipe, sed nobis ne forte loquentibus obsit

Hibernum frigus, calidos cedamus ad ignes :

Hic focus igne micans fervet, tibi fercula ponam,

Quæ Galathea libens promet, tibi pocula ponam,

Pocula, lætia fluet inter pocula sermo.

D. Montibus in nostris, saxo fundata vetusto,

Urbs est sita, suis pratis pastoribus apta;

Herbiferi colles, & florida pascua circum

Undiq. si quando frondosa repullulat ætas.

Bethles, si nosti nomen, tenuere coloni

Isaïæ quondam, quo nos quoq. sape solemus:

Pastores ovium pascentes cogere fatus.

M. Hæc urbs nota mihi sic, ut non notior usquam

Delia sit canibus nostris: nam plurimus illi

Caseus hic premitur septis quoq. victima nostris

Nunc agitur, populi cum fit conventus in urbe.

Verum perge, precor, quid gaudens urbe reportas?

D. Hic puerum vidi, quem speravere parentes

Nostric custodem tuguri pecorisq. tenelli.

Primus ego hic vidi puerum, quem regia virgo

Edidit in lucem nostro fataliter antro.

Promissum vidi regem radice virentem.

Jessæa, duce quo toto gens aurea mundo

Surget, quo fugiens agris immitis egestas

Cessabit, fugiens, quo ferrea desinet etas.

M. Falleris, ô pastor, talem tu primus in urbe

Hac humili regem vidisses? Daphni quid erras

D. Fallor ego, aut potero re certa errare Menalca?

Ipsum, crede mihi, vidi regemq. salutans

Demisso vultu pedibus pius oscula fixi.

Egregia ut facies puerō, ut decus enīt̄ ore

Augusto, ut spirat̄ claros frons regia honores,

Qualis ubi oceanī perfusus Lucifer unda.

Extulit̄ os sacrum lucem conspectior arce:

Sic puer ille suos fatales prodit̄ honores.

Quamvis non pluma, sed acuta carice lectus

Constet, quo pueri sanctissima membra jacebant.

M. Quid miki Daphni resers? sed quæ tibi causa videndi

Regem? dic age te quæ jam fors obtulit illi?

D. Nox erat, & gelidas sylvas nix alta tegebant,

Compulerant Corydon pecus & Melibæus in unum,

Ad nemus & colles Ephratæ: quos ego junctos

Cum video, veniens socium me protinus addo,

Namq; erat acre gelu, sylvis metus usq; luporum,

Et quia jam cælo nox intempesta ruebat,

Corpora fessa domus stratis prope septa cubantes.

Hicq; soluta jacent dum summo & frigore membra,

Fit sonus, & summo concentus in æthere vocum,

Exilit̄ è stratis subito Melibæus, & inde

Tertius exclamat, quis clangor in aëre? somno

Surgite nunc socii, pecus & defendite spectris.

Surgimus hic pavido spectantes æthera vultu,

Lux diffusa polo nocturnas solverat umbras,

Clarius & solito rutilo cælo astra micabant,

Miramur: resonent quid jam per inania cantus.

M. Heu miror, metuoq; simul, ne forte sinistri

Hoc quid, Daphni, ferat̄ pecori, pecorisq; magistris.

Non est, quod metuas, potius latare Menalcas:

Percipe, quæ strepitum tandem fors inde secuta.

eccl. legat.

Dum

Dum sumus attoniti, nimbo venit ecce corusco  
E nitida cæli delabens aliger arce,  
Nos nostrumq; pecus plaudens circumsonat alis:  
Mox fugimus pavidi, occurrit fugientibus ille:  
Quem fugitis clamans, pastores, sustine gressum.  
Non ego montivagus Dæmon, non corniger ille,  
Qui solet invisis Faunus vos ludere spectris.  
Ore favete, metum secludite pectore, ab arce  
Syderea venio, vobis ego nuncius assum  
A Jove cœlesti, Jove, qui defendit, & auget  
Vos vestrumq; pecus, stabulis mala providus arcens,  
Qui facit, ut veniant distentæ lacte capellæ.  
Omnipotens idem facit, ut sine semine mater  
Edat in æthereas, ô mirum, luminis oras  
Ædibus in vestris puerum, sine fine futurum.  
Regem, qui pedibus conculcans colla Draconis  
Ultor erit generis vestri olim fraude perempti.  
Rex hic justus erit, regni sic fulcra futuri  
Pax erit, & virtus, cumq; his conjuncta petest as.  
Justitia huic solium victrix firmabit avitum:  
Spernet humus rastros, spernet quoq; vinea falcem:  
Fessis nunc solvet tauris jugalatus arator.  
Hoc duce parta quies, præclusaq; janua lethi:  
Vos fortunatae sedes, vos magnus olympus  
Hoc duce nunc capiet, capient consortia divum.  
Ite igitur multo venienti occurrite honore-  
Ite simul regem quarentes signatenete,  
Ne loca vos fallant, memores mea dicta notate:  
Hujus est patria urbs, quam nostis, proxima Bethles  
Aula illi caula est, durum sunt stramen & herba,

Parva



Parva torus, parvum cunas præsepe ministrat.  
Hæc ubi dixisset, teneras dilapsus in auras  
Alta petit: circum glomerantur & ilicet agmen,  
Aligerum juvenum, latum pœana canentes,  
Solenni nitidum complebant aëra plausu.  
Gloria summa D E O, qui pollet robore summo:  
Ostendat blandos terris pax aurea vultus:  
Gaudia percipient homines, placeantq; JEHOVÆ.  
Ecce dies venit, venit, nec fixa fæsellit  
Spes animos cupidos: hæc sunt verè aurea secla.  
Omnihi tam longæ maneat pars ultima vita,  
Qua puerum patria videam virtute superbum,  
Hostibus è viciis fatalem ferre triumphum.  
Dic, age, sed contra quid vos? quid deinde secutum?  
In stabulis ecquid vobis puer ille repertus?  
Dicta secuta fuit res, eventusq; probavit.  
Vidimus hic puerum brumali frigore adustum,  
Caula domus stabat, congestum cespite culmen,  
Vimine contextus paries; casa pervia vento,  
Ad præsepe, recentis ubi cunabula regis,  
Cum bove cornigero gramen carpebat asellus.  
Nec mora, continuo cupidi prosternimur omnes  
Ante pedes pueri, votis felicibus uno  
Ore salutantes regem, veniamq; precantes.  
Inde senem juxta matrem, quem stare videmus,  
Alloquimur placidis verbis, atq; ordine cuncta,  
Pandimus, apparens quæ dixerat Angelus arvo.  
Ille refert contra, quæ sors sibi juxerit illam,  
Sponsam, quæ pariens esset sine semine mater.  
Adiicit his, quondam quæ dixerit Angelus idem

Vir

Virgine stans coram, superum demissus ab arce :  
Mentibus afflictò cupidis mox affore tempus  
Quo pareret nunquam tactu temerata virili  
Imprægma Deo : rueret quo de super alvum  
Virginis illabens castam Jovis aureus imber :  
Quoq; Deus lustrans humiles sub imagine terras  
Humanos gereret puerios, habitumq; tenelli,  
Quoq; rediret ovans gens primi à labe parentis  
Libera, quoq; iret surgens in pristina mundus.  
Nos his auditis, puer cum matre relicto,  
Imus, & his gravibus gestis benè rebus ovantes  
Pergimus, atq; hilares opera ad consuetar edimus.  
Hinc est, quod solito veniam nunc latior agris :  
Hinc est, quod latus, quamvis tristissimus annus  
Curat, lata canam modulamine carmina late,  
Carmina quæ puer nascentifingo, Menalca.  
M. Ergo nostra salus, lux & gratissima gentis  
Nostra cum veniat, divino alterna canamus  
Hic puer facilis : aderit puer ipse vocatus  
D. Incipe tu major : me aequum parere Menalca.  
M. Pastorum Musæ paulo majora canamus,  
Si canimus sylvas, sylvae sunt carmine dignæ ;  
Nos jam non virgulta juvant, humilesq; myricæ  
D. Ecce Deus, Deus ecce venit : sub imagine carnis  
Lustrat agros : illi pastores pascite taurum :  
Hic nostri tuguri custos, pecorisq; tenelli.  
M. Jam veteri exacto, calo novus ingruit annus  
Jamq; Sionæi venit nova carminis ætas,  
Jam peperit virgo, redeunt jam pristina regna.  
D. Huc ades ó formose puer : quam fecimus aram,,

ecclœas  
ecclœas  
ecclœas +  
modem


B Dum

Dum mihi filia trahunt Parcae, tener imbuet agnus:  
Hac genialis hyems solvet tibi vota quovannis  
*M.* Tu modo virginis floe intemeratae pudoris  
Casta Maria fove natum: nam colla Draconis  
Calcet, si firmata virum illum fecerit etas  
*D.* Mirabar quid mesta D E u M gens nostra vocaret,  
Hinc aberat puer hic: ipsite, parvule, fontes  
Ipsae te quercus, ipsa hac arbusta vocabant.  
*M.* Cum reget hic patriis totum virtutibus orbem,  
Pacatum, incipient gentes succedere cælo:  
Incipient populi superas evadere ad auras.  
*D.* Namq; tibi libuit nobiscum sordida rura,  
Et spretas habitare casas, & figere cervos.  
Lanigerumq; pecus viridi compellere Campo.  
*M.* Ipse D E u M vitam accipiam, divisq; videbo  
Permistas Heroas, & ipse videbor ab illis,  
Candidus insuetum mirabor limen olympi.  
*D.* Nec lupus insidias pecori meditatur iniquas,  
Retia nec cervis: amat otia noster amandus  
Hic puer: en sylva tenet, en quoq; rura voluptas.  
*M.* Christe D E I soboles, magnum patris incrementum,  
*4* Aspice convexum nutanti pondere cælum,  
Aspice, supremam velut optent omnia lucem.  
*D.* Sis bonus, ô felix q; tuis: dum rore cicadas  
Gaudet, apisq; thymo, cytiso lasciva capella,  
Tempus in omne tuum nomen laudes q; manebunt.  
*M.* Fac, insuetas graves ne tentent pabula fetas,  
Ne cupidos præda metuant armenta leones.  
Unum, fac, sit ovile tuum, qui pastor es unus.  
Sunt hæc vota D E O gratissima: munere dignus

Regius



Regius est tali puer hic: sed me evocat inde,  
Et jubet ire domum vesper, cælogr ruens nox,  
Balantum græges mea cura: valeto Menalca.  
Cum jam sacra D E O faciam, cum debita solvam  
Vota meo natali, aderis cum conjugè Nisa:  
Grata fuere mihi tua fercula: amice valeto.



## ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙ

ωνικὸν τῶν ῥητένιων.

**Α**γνὴ παρθενικὴ καὶ μήπολε ἀνδρὶ μηγεῖσαι  
Αἴανάτῳ Θυητῇ υἱὸν ἐλικείεται.  
Τὰῦτα, φυλασσόντων τὴν ποίμνην νυκτὶ νομῆσων,  
Τυνεῖς ψέραντο χάρματα θεῖα χόροι.  
Οιδὲ βρεότοις χαλεπῶς μυστήρια τόσσαν νοστούσι,  
Οπῖς ἀνδρὶ τετράγετος θυμὸς ἀπιστοῖς  
Ωςε νομῆσες ἐβαν φιλόπουσοι ἐς αὐγλαυνοῖς  
Κείμενον σὺ Φάτνη καὶ βρέφοις εὔρον ἔκει.  
Καὶ καλαπίποντες ταχέως εἰς γαῖαν, ἐκαστοί  
Ευχόμενοι βασιλεῖς διώρει διδύστην  
Δεῦτ' ὅν στοφάγοις καὶ χαίρετε: πᾶσι φαίνηται  
Ανθρώποισι θεῖς παγγενέτοιο χάρεις.  
Δεῦτε καὶ συνέπετε: ὄρσινε φθῆτε τετράγετον ΙΗΣΟΥΝ,  
Απεκένεως ὅν γῦν σπάρξετε τοῦτο λόγοι.

F I N I S.

I A A A A H

ATOSCHI

21117



Nr 1996.

8



nicht aufz., da unvollst. u.  
nicht zu ermitteln!  
28 a / 50 1996 /

VS 17

1996



# Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Cyan

Yellow

Green

Red


Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.



S E M  
S N O.  
I S T I

ORO  
TI SUO  
auspicium  
vantiae

ORM

poldi,

75  
82  
643